UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 94. Controversia de residentia ex jure Divino innovata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66641

Visual Library

Sæcul. XVI. A.C. 1562.

babant, nec minima oppoſitione interpoſita: poſtea vero nova exorta eſt tempeſtas, quæ tam ægre ſedata fuerat, ut parum abeſſet, inquit Pallavicinus, *quin pene in deſperationem converteretur ſpes concepta de Univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ reſtauratione;* quippe in poſtremo Canone ea formula, quæ Cardinalis Creſcentii ſub Julio III. Synodo præpoſiti ætate erat præſcripta, adhibebatur, in ea autem hic error propoſitus: *quod Epiſcopi Presbyteris majores non ſint Jure divino:* verum Legati poſtremas has voces *jure divino* auferebant, veriti, ne exinde diſputatio de jure reſidendi iterum ſuſcitaretur.

Litt. Legat. ad Borr. 24. Sept. & Arch. Jadr. 28. Sept. & 5. Octobr. 1562. apud Pallav.

§. XCIV.

Controverſia de reſidentia ex jure Divino innovata.

Pallav. c. 12. num. 10.

Quidam Hiſpaniæ Præſules, qui hanc quæſtionem definiri exoptabant, coram Franciæ Oratoribus querebantur de aſtutia Præſidum, quos Lanſacus ſub amicitiæ ſpecie monebat de tumultu, exinde ſuſcitato, quod duo illa verba reſecaſſent. Hi re diſſimulata reſpondebant: „brevi innoteſcet, "quod nos minime declinemus diſputationem de jure reſidendi, quotieſcunque ea proponeretur, cum alias ſpoponderimus, eam denuo, ubi de Ordi-

„nis

"nis Sacramento ageretur, examini ſub-"jici, nec in eo ab animi noſtri ſinceri-"tate recedimus, quandoquidem nun-"quam ſperaveramus, præteritum de "illa controverſia ardorem extinctum "iri, ſed unice cavere ſtudebamus, ne ob "novam definitionem ſuper Epiſcopo-"rum inſtitutione factam, pariter etiam "cogeremur definire præcedentem con-"troverſiam, illi adeo adnexam, ut "hæc definiri nequeat, quin etiam iſta "decidatur. Ad hæc reſpondit Lanſacus, quod parum ipſum angat, an hoc, vel illo jure habeatur reſidendi neceſſitas, dummodo reperiretur ratio ad eam firmiter obſervandam, cum certum eſſet, quod plurima Eccleſiæ incommoda inde dimanarint. Hoc Lanſaci reſponſum Legatis placuit. Sæcul. XVI. A.C. 1562.

§. XCV.

Granatenſis Archiepiſcopi petitio de Reſidentia ex jure Divino declaranda.

Abeunte Lanſaco, ſupervenere Archiepiſcopi Granatenſis, Bracarenſis, Meſſanenſis, & Epiſcopus Segobienſis, poſtulantes, qua ex cauſſa voces iſtæ *jure Divino* deletæ fuiſſent ex Decretis a Creſcentio Legato, ac Cardinale propoſitis? His addebant, quod ex eo palam *Pall. n. 11. Sarp. p. 588.*